





*Pri. 21. num. 23. P. 5. 3.*

*16*  
DISSERTATIO IN AVGURALIS IURIDICA

*1735, 4*

*4*  
DE

**PACTO RESERVATI  
DOMINII IN VENDITIONE  
VSQVE AD PRETII RESIDVI  
SOLVTIONEM, EJVSQVE EFFE-  
CTIBVS INSIGNIORIBVS IN  
CONCVRSV POTISSIMVM  
CREDITORVM,**

*QVAM*

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

*PRÆNOBILI, CONSULTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,*

**DN. D. HERMAN. PAVLO JVCH,**

*SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLIC. ET ARCHIAT.  
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROF. PVBL. PRIMAR. FAC. MED. SENIORE,  
ET ACADEM. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA,*

*EX DECRETO ET AVTORITATE  
INCLYTI JCTORVM ORDINIS*

**PRO LICENTIA**

*SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES  
RITE CAPESSENDI,*

*DIE XIV. OCTOBR. A. MDCCXXXV.*


*IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI HORIS CONSVENTIS  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET,*

**JOHANNES GOTTLIEB OSANN,**

*Erford.*

*ERFORDIA, Typis HERINGII, Acad. Typogr.*







DISSERTATIO IN AVGURALIS JVRIDICA  
DE  
PACTO RESERVATI DOMI-  
NII IN VENDITIONE VSQVE AD PRE-  
TII RESIDVI SOLVTIONEM, EJVSQVE  
EFFECTIBVS INSIGNIORIBVS IN  
CONCVRSV POTISSIMVM  
CREDITORVM.

Thef. I.

**P**actum in generali acceptione recte describitur, quod sit duorum vel plurium in idem placitum consensu.  
*l. 1. §. 2. ff. de pact.* Qui enim pactum per translationem juris mutuam describunt, effectum pactorum cum pactis ipsis confundunt. *BVDDEVIS in Jurisprud. div. cap. 3. sect. 4. §. 10.* Pactum autem, in specie acceptum, est duorum pluriumve in idem placitum conventio, destituta & nomine & causa. *d. l. 1. §. 2. junct. l. 7. pr. §. 1. § 2. ff. de pact.*

A 2

Thef.

## Thes. II.

Dispescebatur à Romanis pactum 1) in *nudum*, quod in simplicibus conventionum terminis subsistebat, & non *nudum sive vestitum*, quod vel lege specialiter confirmatum erat, e. g. donatio &c. vel vim obligandi ex contractu principal capiebat, v. g. pactum legis Commissoriae &c. 2) in *expressum*, quod consensu expresso, & tacitu, quod consensu tacito, eoque vel presumto vel factio, vel etiam facto declaratum fuit; 3) in *reale*, quod ad heredes & fidejussores extenditur, & *personale*, quod solas pacifcentium personas respicit. conf. LUDOVICI in doctr. ff. tit. de pæct. §. 1. seqq.

## Th. III.

In Republica Romana quidem pacta nuda efficacem non producebant obligationem & actionem, uti dilucide appetet ex l. 15. ff. de prescript. verb. & l. 10. C. de pæct. Legislatores enim Romani existimabant, publici boni rationem non admittere, ut ex pacto nudo oriatur actio, ubi factum dignum, ob quod pacifcentes adstringi possint, haud intercessit; lubricum linguae quippe ad obligationem efficax non judicarunt, sed quando subsuit negotium habile. l. 7. §. 2. de pæct. STRUV. Synt. Jur. Civ. Exere. 6. ib. 7. ibique PETR. MÜLLER. in not. Verum enim vero, cum Germani hasce juris Romani tricas nunquam receperint, hodie ex quolibet pacto honesto firma nascitur obligatio & actio. STRYCK. us. mod. ff. tit. de pæct. §. I.

## Th. IV.

Dominium, quod in sensu strictiori hic accipitur, describi potest, quod sit ius in re, quo res corporalis nobis est propria, ita, ut nobis competit facultas, de ea re perfecte disponendi  
eamque

eamque vindicandi, nisi (*intuitu perfecta & liberae dispositionis*)  
lex, (*ut in pupillis &c.*) vel conventio, vel etiam testamenta-  
ria dispositio, (*v. g. in fideicommissis familiae*) obstat. HV-  
BER. Praelect. ad ff. tit. de acquir. rer. dom. §. 1. add. LUDOVICI  
doctr. ff. cod. tit. §. 1.

## Th. V.

Dividitur dominium ab Interpretibus juris 1) in plenum  
& minus plenum: Plenum est, quando, sive quoad proprie-  
tatem & fructuum perceptionem simul, (*quod in specie plenum*  
dicitur, *cique opponitur nuda proprietas*) sive saltem quoad pro-  
prietatem, jure utendi ad tempus penes alium existente, li-  
berum alicui competit disponendi arbitrium: Minus plenum  
autem dicitur dominium, quando non adest *integra* proprie-  
tas, sed *restrictum* quodammodo est disponendi arbitrium;  
& subdividitur in directum, quando quis dimidiam partem  
proprietatis sine jure utendi fruendi: & utile, quando quis  
dimidiam proprietatis partem cum jure fruendi conjunctam  
habet. STRUV. Exerc. ad ff. II. th. 55. Porro dividitur domi-  
nium 2) in civile & naturale: Civile dicitur illud dominium,  
quod maritus in specie aliqua, i. e. re non fungibili, ipsi in do-  
tum data, consequitur; Naturale autem dominium vocant  
Dd. quod uxor in re tali retinet, ita tamen, ut ejusdem exer-  
citium durante matrimonio quiescat. LUDOVICI doctr. ff. tit.  
de jur. dot. §. 7. Denique 3) distinguitur dominium in ordi-  
narium & subsidiarium: Ordinarium appellatur, quod alicui  
perceptionem fructuum & facultatem vindicandi rem, si ad  
alium pervenerit, tribuit; & hoc reapse & effectu magis pe-  
nes emtorem, licet pretium non dum solverit, & venditor  
dominium in re vendita, donec pretium solutum fuerit, sibi  
reser-

reservaverit, esse videtur: *Subsidarium autem vocatur, quod pacto reservati domitiij contractui emtionis venditionis adjecto, penes venditorem remanet, ipsique ad plenissimam imprimis contra alios emtoris creditores securitatem consequendam conductus atque inservit.* HERT. *diss. de reservat. dom. vel hypoth. in re vendita sect. I. §. 7.* BERGER. *in resolut. L.L. obstant. qua in compand. jur. Lauterb. exprom. tit. de Lege Commiss. animadvers. ad verba: periculum tamen est penes emtorem.* p. m. 329. Plures quidem dantur dominii species; sed, cum ad scopum meum plane non pertineant, eas lubenter prætermitto.

## Th. VI.

Emtio venditio autem est contractus consensualis, de certa re pro certo pretio tradenda initus. *pr. Inst. de emt. & vendit.* Unde consequitur, tria emtionis venditionis esse substantialia: 1) *consensum*, ita, ut ne requiratur quidem ad ipsam hujus contractus essentiam traditio, uti insitā dicetur: 2) *rem seu mercem tradendam*, quae debet esse certa ac determinata: 3) *premium*, quod debet esse a) *justum & verum*, b) *certum*, c) in *pecunia numerata consistens*. STRUV. *Exerc. ad ff. 23. tb. 5. seqq.*

## Th. VII.

Dividitur emtio venditio in *scriptam*, quae *scriptis fit*, & tunc demum celebrata esse censetur, quando instrumentum ex conventione partium super ea confectum, ipsis contrahentibus est praelectum; & non *scriptam*, quae sine *scriptura nuda* contrahentium consensu perficitur. Quae divisio & textibus juris, cum primis *pr. Inst. de emt. vendit. I. 17. C. de fide instruens.* & autoritate JCtorum nititur. conf. BACHOV.

ad

ad pr. Inst. de emt. vendit. ubi ait: emtionem venditionem habere naturam vel essestialem & communem ex jure gentium, ut perficiatur nudo & simplici consensu; vel adventitiam & accidentalem ex conventione partium, ut scil. perficiatur in scriptis.

## Th. IX.

Varia emtionis venditionis contractui adjici solent pacta, qualia sunt pactum de retrovendendo: pactum protimiseos: pactum addictionis in diem: pactum legis Commissoria: pactum constituti possessori: pactum reservati dominii & pactum reservatae hypothecae in re vendita. vid: Dd. ad tit. ff. de contrab. emt. &c. Missis itaque reliquis pactis, quae emtionis venditionis contractui adjici consueverunt, solummodo de pacto reservati dominii in venditione usque ad pretii residui solutionem, ejusque effectibus, potissimum in concurso creditorum, impræsentiarum paucilo curatus differere mecum constitui.

## Th. IX.

Pactum reservati dominii in contractu emtionis venditionis nihil aliud est, quam conventio inter emtorem & venditorem inita, quâ venditor, vel ante traditionem rei venditæ, vel in ipso traditionis actu, dominium in re vendita sibi reservat, usque dum pretium fuerit solutum, ut venditor de pretio non solum sit securus, sed etiam omnibus aliis creditoribus præferatur, ac moto concurso jure separationis gaudeat.

## Th. X.

Pactum hoc dominii reservativum moribus nostris esse validum, omnes omnino Dd. uno quasi ore docent, & praxis in foris Germanie hanc sententiam comprobat. Sed an ejusmodi pactum etiam in Jure Romano fundatum sit? Dd.

non

non conveniunt. Partes affirmantium solidissimis rationibus tuctur D. AVGVSTINVS LEYSERVVS in Meditat. ad ff. spe-  
cim. 479. medit. 5. atque fundamentum hujus pacti probat ex  
l. 21. ff. locati ibi: convenient, ut, donec pecunia omnis persolveretur,  
certa mercede emtor fundum conductum haberet; & clarius ad-  
huc ex l. i. C. de pactis inter emtor. verbis: ea lege predium ven-  
didisti, ut, nisi intra certum tempus pretium fuisset exsolutum, do-  
minium ad te pertineret. Licet enim juxta SCHILTERVM Ex-  
erc. ad ff. 30. §. 56. & 76. ratio Juris Romani, quo traditione  
rerum venditarum dominium transferatur, non nuda posses-  
sio, §. 40. Inst. de rer. divisi. hoc pactum vix admittere vide-  
tur: falsum tamen est aperte, sola traditione rerum vendita-  
rum dominium ex Jure Romano transferri, & resellitur per-  
spicue hoc assertum in §. 41. Inst. de rer. divisi. ubi, quam-  
diu pretium solutum non est, dominium transferri negatur.  
Fac etiam, de Jure Romano nuda traditione dominium  
rei venditæ transferri: hæcce tamen naturalia, ad quæ sine  
dubio pertinet traditio in contractu emtionis venditionis, pa-  
ctis contrariis adjectis mutari possunt; cum nemo, dum rem  
suam tradit, legem certam ei dicere prohibeatur, per l. 20. §.  
1. ff. de pact. dotal. l. ult. in fine C. de pact. inter ent. Cæterum  
idem SCHILTERVS dict. Exerc. 30. §. 76. 77. monet: in Saxo-  
nia non satis convenienter cum resignatione judiciali jungi banc do-  
minii reservationem; dum enim resignetur dominium, non posse il-  
lud reservari. Unde, si dominium reservari, nec per traditionem  
transire debeat, resignationem judicialem omittendam esse, usque dum  
pretium numeratum fuerit.

## Th. XI.

Natura atque indeoles hujus pacti ante omnia exigit, ut  
refer.

reservatio talis vel ante traditionem rei venditæ, vel in ipso traditionis actu interveniat. l. 7. §. 5. ff. de pac*t.* Unde post factam traditionem nihil operatur dominii reservatio; certi enim ac indubitate juris est, facta rei venditæ traditione, domino priori in re vendita, tanquam re aliena, nihil juris amplius competere. HERT. cit. diff. §. 4. CARPZOV. P. 2. Conf. 23. def. 17.

## Th. XII.

Reservationem hancce in allodialibus bonis etiam extrajudicialiter fieri posse, pluribus defendit CARPZOVIVS P. 2. C. 23. def. 16. quod tamen in Electoratu Saxonie per Ordinat. Proc. recognit. ad tit. 42. §. 7. mutatum est, ita, ut confirmatio judicialis, ad effectum prælationis in concursu creditorum, accedere debeat. In feudalibus quoque quin insuper consensus Domini & agnitorum requiratur, non est ambigendum. HARTM. PISTOR. P. 1. quaest. 31. n. 33. CARPZOV. P. 2. C. 23. def. 18. it. Tr. de oner. Vaf. feud. dec. 2. pos. 5.

## Th. XIII.

Dominium autem reservatur non solum consuetâ illâ formulâ, quæ in vernacula nostra sic solet exprimi: Dass der Verkäufer an dem verkaufften Guthe oder Hause das völlege dominium bis zu gänzlicher Abtragung der versprochenen Kauff-Summe sich reserviren wolle; STRYCK. de cautel. contract. scđt. 2. c. 8. §. 30. sed etiam clausulis æquipollentibus, qualis apud Romanos suis videtur, si conventum sit, ut illa, que distracta sunt, precario penes emtorem essent, quoad pretium universum persolvere. tur. l. 20. ff. de precario. Quo referri quoque poterit: si venditorem inter se emtorem convenerit, ut denum soluto t<sup>o</sup>to pretio, venditor vacuam possessionem nancisci; ac ipsa resignatio investitur a fieri,

B

nec

*nec non ejus nomen in catastrum referri debet: Das erst nach Bezahlung des ganzen Kauff-prectii dem Abekauffer die wirkliche possession eingeräumet, und er an das Geschöß und Lehn gebracht werden solle.*

## Th. XIV.

Quamvis enim pacti reservati dominii in hac clausula expresse non fiat mentio; iidem tamen tacite saltem inest sapientis memoratum reservati dominii pactum, cuius formula certa ac determinata in legibus neque reperitur, neque requiritur: sed, sicuti alias in jure consensus tacitus idem operatur ac expressus, ita & in pacto reservati dominii in eundo sufficit, modo tacite saltem, & ipso facto dominium in re vendita reservetur, putâ non habendo fidem de pretio, aut, licet fides de pretio habita sit, non tradendo vacuam possessionem, nec, praesertim in foris Saxoniae, investitaram rei immobilis resignando. WILHELM. EYSER. dissert. de concursu & graduat. credit, cap. 2. tb. 2. lit. d.

## Th. XV.

Argumentum itaque pro modo dicta clausula reservati dominii tacita deprehendimus in l. 2. § 3. ff. de act. emt. vend. l. 3. C. eod. l. 12. C. de probat. ubi ad consummationem contractus emtionis ventionis, traditio vacua possessionis adeo necessario requiritur, ut ante talen traditionem vacua possessionis, emtor neque dominium consequi, neque in conditione usu capiendo constitutus esse possit: at verò vacua possessio, eo causa, si vendor vel maxime particulam possessionis sibi reservaverit, juxta dispositionem citatarum legum tradi nequit. Ergo possessione vacua, quæ ad transferendum dominium absolute necessaria est, non tradita, eò ipso dominum saltem subsidarium à venditore retinetur.

## Th. XVI.

## Th. XVI.

In hanc quoque sententiam, lite hic Erfordiaæ super effetu ejusdem clausulae reservati dominii tacite inter D. R. P. & Curatorem bonorum P. L. mota, in terminis, ut ajunt, terminantibus, pronunciarunt JCti Halenses mense Decembris ao. 1728. additis decidendi rationibus: Ob zwar Contradictor der Meynung ist, daß die Frau Kornmeisterin Pocklettin keine merckliche læsion darzuthun vermöchte, machen sie das Eigenthumb des verkauften Hauses, mit creditzirung des noch rückständigen Kauff-Geldes, auf Peter Loken durch ordentliche Übergabe transferiret: Dennoch aber und dieweil die læsion außer Zweifel ist, indem in dem Kauff-Briefe ihr das dominium an dem verkauften Hause bis zum völligen Abtrag des noch restirenden Kauff-Geldes dadurch deutlich genug reservirt worden, daß man accordiret und abgeredet, allererst nach Erfolg dessen dem Abkäuffer die wirkliche possession einzuräumen, mithin an Geschöß und Lehn zu bringen ic. ic. Et JCti Francosurtenses mense Septembri 1735. in verbis rationum decidendi: Obwohlen 4) der Verkäuferin das dominium durch die theils nicht alzudeutlichen, theils unzulänglichen Worte des Contracts: *Dass erst nach völlig gezahlten Kauffpreis Verkäuferin ihrem Abkäuffer die wirkliche possession einzuräumen/ mithin an Geschöß und Lehn zu bringen versprochen;* nicht salviret werden möchte, in Betrachtung, daß nicht nur keine rechte reservation des Eigenthumbs darinnen zu befinden, sondern auch, wenn allenfalls auf einige Weise diese Worte darauf gedeutet werden möchten, die Erklärung wider die Pocklettin, als welche sich das dominium deutlicher hätte vorbehalten können, keinesweges aber wider die mit ihr jeho de-

prioritate streitenden Gläubiger zu machen seyn würde: Dennoch aber und dierweil 1) denen Rechten nach, nichts gewissers, als daß zu volliger consummation eines Kaufs die traditio vacuae possessionis erfordert werde, und bevor dieses nicht geschehen, ein Käufer weder das dominium alsbald erhalten, noch in conditionem usucapiendi gesetzet werden kan, l. 2. § 3. ff. de act. emt. vend. vacua possessio aber nach Anleitung solcher Gesetze weder, wenn ein tertius darinnen ist, noch, wenn der Verkäufer selbst sich dieselbe reserviret, übergeben werden mag, folglich da diese civilis possessionem Käufer in gegenwärtigen Fällen nicht übergeben, sondern vielmehr von dem venditore reserviret worden, nicht abgesehen werden mag, wie bey nicht befolgter ad transferendum dominium nothwendiger tradition dasselbe ad emtorem solle übergangen seyn; daher denn 2) die in dem Contrakte enthaltene Worte: **D**aß erst nach völlig verrichteter Zahlung die possession sollt transferiret; und der Käufer an Geschöpf und Lehn gebracht werden; deshalb, weil des dominii keine ausdrückliche Erwähnung geschiehet, nicht sinistre zu interpretiren, angesehen, daß es auf eines hin aus lauft, ob das Eigenthumb ausdrücklich, oder nur dasjenige reserviret werde, ohne welches das Eigenthumb nicht kan erhalten werden, und es eben von dem Nachdruck seyn müßt, ob das dominium selbst, oder ob die traditio vacuae possessionis, aus welcher das Eigenthumb resultiret, bis auf völlig befolgte Zahlung suspendiret werde.

### Th. XVII.

Clausula tamen illa, quam consuetæ pacti reservati dominii formulæ æquipollere, in thesibus præcedentibus probavi, probe discernenda est à decantata illa *constituti possessorii clausula,*

fula, quā res non proprio, sed alterius nomine possideri promitti-  
tur, quamdiu pretium non solutum fuerit. Pactum enim  
constituti possessori neque reservationem dominii involvit,  
HVBER. in p̄lect. ad ff. tit. de contrab. emt. n. 12. neque esse-  
tus iidem adscribi solitos producit, uti contra HVBERVM c.  
l. solidis profecto rationibus fuit eyictum in diss. sub pra-  
ficio Magnifici Dni HIER. FRIDER. SCHORCHII hic Erfordia  
ā Dn. D. SOEMERINGIO habita: de constituto possessorio in legi-  
bus Romanis non fundato. §. 11.

## Th. XVIII.

Finis pacti reservati dominii est vel *universalis*, ut scil.  
venditor de pretio sit securus: vel *particularis*, ut non solum  
litates, quæ circa fidem de pretio habitam plerumque moveri  
solent, evitentur; sed etiam, licet fides de pretio habita sit,  
venditor moto forsitan creditorum concursui eximatur, &  
aliis emotoris creditoribus preferatur. conf. HER. diss. de reser-  
vat. dom. vel hypoth. in re vend. sc̄ct. I. §. 2. §. 3.

## Th. XIX.

Pacto itaque reservati dominii non obest, quod dies cer-  
tus solutioni præfixus sit. PETR. MÜLLER. in not. ad STRUV.  
S. J. C. Exerc. 23. ib. 108. lit. a. n. XVII. p. m. 1652. lin p. ut ut  
enim sic fidem de pretio habuisse, atque confessum dominium  
transfusisse dicatur venditor in l. 19. ff. de contrab. emt. con-  
trarium tamen pacisci licet, per l. 1. C. de pactis inter emitor.  
Addatur l. fin. C. cod. in qua generalem hancce regulam præ-  
scribit Imperator JVSTINIANVS: *Cum venditor, vel alter  
alienator non alia lege jus suum transferre passus est, nisi tali fretus  
conventione: quomodo ferendum est, aliquam captionem ex variis  
pati eum interpretatione?* conf. LEYSER. in Meditat. ad ff. spe-  
cim. 479. medit. 7. ubi elegans præjudicium annectit.

B 3

## Th. XX.

## Th. XX.

An vi ejusmodi pacti venditor retineat verum dominium? Dd. à se invicem dissentunt. SCHILTERVS Exere. ad ff. 30. tb. 55. arbitratur, vi hujus pacti possessionem tantum tradi, retenta interim proprietate: Alii contra, quos inter est PETR. FRANCISC. de TONDVT tr. de prævent. judicial. part. i. c. 31. n. 23. seqq. nolunt huic pacto vim retentionis dominii, sed saltem effectum specialis hypothecæ tribuere. Verum enim vero, in tanto Interpretum juris dissensu, media mihi arridet sententia celeberrimi quondam JCti HERTII in cit. diff. p. 7. distinguens inter dominium ordinarium & subsidiarium. Illud quidem in emtorem transit, quippe qui non solum fructus omnes ex re emta percipit, sed etiam eandem, penes alium existentem, vindicat: *Hoc autem penes venditorem remanet, eum maxime in finem, ut reliquis emtoris creditoribus præferatur, & moto creditorum concursu, vi ejusdem pacti, jure separationis gaudeat.* Et juxta hanc distinctionem inter dominium ordinarium & subsidiarium, non incongrue explicari possunt venditionum instrumenta, in quibus videamus, terminos solutionis determinari, dominium & possessionem transferri cum jure faciendi, quod emtori lubet; & tamen subjicitur clausula reservati dominii & possessionis, donec pretium fuerit solutum. Quæ profecto conciliari non possent, nisi mediante allata distinctione concilientur.

## Th. XXI.

Deinde: an hoc pacto contractus emtionis venditionis reddatur conditionalis? inter Dd. controvertitur. Multi quidem sententiam affirmativam defendunt, inter quos CARPZOVIVM lib. I. resp. 108. & HUEBERVM in prelect. ad ff. tit. de

*de peric. & commod. rei vend. §. 8. allegare sufficiat: Sed sicut  
horum sententia nulla lege, nullaque firma juris ratione pro-  
bari potest, immo ipsi juris analogiae repugnat; ita alii ex præ-  
gnantibus sane rationibus contrarium statuunt. vid. LAV-  
TERBACH. tr. synopt. de peric. & comm. rei vend. §. 1. HERT.  
cit. diff. §. 5. Emto venditio enim solo consensu perficitur,  
nec dominii translatio, quæ hoc pacto suspenditur, ad perfe-  
ctionem hujus contractus, sed tantum ad ejusdem implemen-  
tum pertinet. Unde pactum, ne prius, quam soluto pretio,  
dominium transeat, non impedit, quo minus contractus per-  
fectus sit, eum sane obligatio statim adsit, nec alter, altero in-  
vito, ab eodem recedere valeat; sed saltem ad implementum  
pertinet, ne prius, quam emtor à sua parte contractui satis-  
ficerit, vendor eundem implere cogatur. BERGER. in reso-  
lut. LL. obstant. quæ in Compend. jur. Lauterbach. exprom. tit. de  
lege Commissor. in animadvers. ad verba: periculum tamen est penes  
emtorem. p. m. 329.*

## Th. XXII.

Inde quoque colligitur, non obstante hoc pacto, peri-  
culum in re vendita interim contingens ad emtorem perti-  
nere. confer. LAVTERBACH. HERT. BERGER. in thesi præ-  
cedenti allegati, quorum sententia, utut in primis CARPO-  
VIO lib. I. resp. 108. HUBERO in Prelat. ad ff. tit. de contrab.  
emt. n. 12. & de peric. & comm. rei vend. n. 8. nec non SCHIL-  
TERO Exerc. ad ff. 30. tb. 58. displiceat; tamen sat solidis ni-  
titur rationibus: 1) quia hoc pactum, uti in th. præced. su-  
stinui, non impedit, quo minus emto venditio sit perfecta;  
quæ vera est transferendi in emtorem periculi ratio, l. 8. pr.  
ff. de peric. & commod. rei vend. non illa, quam SCHILTERVS  
c. I.

c. l. affert, ne scil. emtor solutionem differat: 2) quia ejusmodi pactum dominii reservativum tantum adjicetur in favorem venditoris, ac proinde in ejus odium non est detorquendum: arg. I. 6. C. de legib. 3) quia vendor ante traditionem adhuc est dominus, & tamen ejus non est periculum: s. 3. Inf. de ent. vend. 4) quia omne commodum rei venditae, statim ac contractus est perfectus, ad emtorem pertinet, d. I. 8. ff. de peric. & comm. rei vend. adeoque ratio naturalis postulat, ut ille, qui sentit commodum, periculum quoque subire teneatur. I. 10. ff. de Reg. jur. Interim ad evitandam dissidentium varietatem & litis vexam optima est cautela, quam suppeditat SCHILTERVS c. l. ut scil. vendor dicat: se reservare dominium, sed sine periculo; Et wolle ihm bis zur gänglichen Auszahlung des Kauf-Geldes das dominium, jedoch sine periculo, reserviret haben. Quæ cautela quoque commendatur à B. STRYCKIO in cautel. contr. sect. 2. c. 8. tb. 25.

## Th. XXIII.

Potissimum jam effectus reservati dominii in eo consistit, quod vendor, non soluto pretio, contra quemcunque possessorem experiri & petere valeat, ut, donec sibi satisfiat, reddatur. BERGER. in resolut. LL. obstant. qua in compend. jur. Lauterbach. exprom. tit. de lege Commissor. in animadvers. ad verba: periculum tamen est penes emtorem. p. m. 330. Recte igitur alleg. loco saepius laudatus BERGERVS eos, qui vendori ex clausula reservati dominii necessitatem imponunt, rem venditam à possessore vindicandi, & propterea partem pretii accepti ante omnia restituendi, notat. Vendor enim dominium sibi reservat non tam contra emtorem, cum adversus eum sufficere possit vel sola venditiæ actio; quam potius contra

tra ejusdem creditores reliquos, ut, si quidem deinceps cum illis committatur, prioritatem in pretio obtineat: unde venditor, non soluto pretio, rem venditam a possessore non valet absolute ac simpliciter vindicare, quia dominium habet non ordinarium, sed tantum subsidiarium. BERGER. *alleg. loc.* Cumque venditor potissimum id agat, ut ratione pretii residui contra quoscunque securus reddatur, in illius sane maximum vergeret incommodum, si partem pretii accepti restituere, & tunc demum rem sub pacto reservati dominii venditam, interea forsitan penitus deterioratam, vel alias minoris pretii factam recipere cogeretur: quod jura neutiquam probant, cum id, quod in alicujus favorem est introductum, in illius odium detorqueri non debeat. *I. 25. ff. de LL.* Imo ille venditor deterioris foret conditionis, quam ejusmodi venditor, qui sibi tantum hypothecam in re vendita reservavit, siquidem huic de pretio ex re iterum vendita redacto ante alios omnes creditores plenissime satisficeri debet: cum tamen clausula reservati dominii, ex consensu omnium Doctorum, utilior & pinguior judicatur clausula reservata hypothecæ.

#### S. XXIV.

Equidem JCTi Lipsienses in sententia, quam in supra memorata causa eoncursus mense Septembri 1730. conceperunt, opinionem, quæ venditori dominium sibi reservanti rei vindicationem injungit, secuti sunt, prout ex communis ipsorum rationibus decidendi, ibi: Inmassen denn auch diese selbe zur Zeit rei vindicationem nicht angestellt, diese auch nicht statt hat, wenn nicht der Verkäufer, so sich das dominium vorbehalten, die von dem Käufer bezahlte Kauf-Gelder restituiret,

C

welches

welches aber von der Pocklettin nicht geschehen; perspicere licet: sed hac erronea opinione non obstante, JCti Francofurtenses, in sententia supra allegata, venditrici huic residuum pretium cum usuris & expensis rectius adjudicarunt, ac illud omnibus aliis creditoribus præposuerunt, adeoque illam à necessitate rem vindicandi, & partem pretii accepti restituens, di jure merito liberarunt.

## Th. XXV.

Exinde ulterior, non minus insignis Jure Communi hujus pacti effectus deducitur, quod nimurum vendor, tam ratione rei venditæ & traditæ, quam quoque pretii residui, si dominium usque ad pretii solutionem in re vendita sibi reservaverit, in concursu creditorum concurrere non debeat, quoniam certo respectu rem suam petit & quodammodo vindicat, per l. 5. §. 18. ff. de tributor. act. ANTON. à MARA sive ELIAS SCHNEGAS in tr. de concursu creditorum libr. I. tit. I. n. 18. vel ipsi, donec pretium residuum solutum sit, res vendita reddi debet, yid. supra th. XXIII. ideoque ratione residui pretii reliquis omnibus creditoribus ut statim preferatur, juris & aequitatis regulis convenit, WILHELM. LYSER. in diss. de concursu & graduat. creditor. cap. 2. tb. 2. etiam quoad interesse, quod ex natura contractus debetur. l. 5. C. de act. emt. prout quoque JCti Hallenses in sententia supra laudata pronunciarunt: Nunmehr aus denen Actis so viel zu befinden, daß Implorantin in integrum, wie hiermit beschiehet, billig zu restituiren, einfolglich selbige die rückständige Kaufs-Gelder quæstionis, sambt dem interesse ad depositum judiciale zu bringen nicht schuldig. D. R. W. adjectis rationibus: Wannenheno derselben eine nicht geringe lassion erwachsen müste,

ste.

ste, wenn ihr das reservirte jus dominii, sambt dem darmit verknüpften jure separationis entzogen, und sie in den Concurs, mit Hindansekung derer Nutzungen ihres Geldes, auch sonst mit nicht geringer Gefahr, als eine gemeine Gläubigerin, gezogen werden sollte. Quæ sententia, licet postea quoad hunc passum correcta, & venditrix jus suum prioritatis in concursus processu deducere coacta fuerit; æquissima tamen & justissima est, cum Judex, qui brevitati litium studere debet, l. 3. I. 1. ff. de rec. arbitr. & l. 13. C. de judic. conscientia sua optime consulat, si id parti statim addicit, quod prævidet, illi tandem tributurum esse.

## Th. XXVI.

Quæ in th. præced. afferui, vera sunt tam de Jure Romano, quam de Jure Saxonico communi. In Electoratu Saxonie autem pactum dominii reservativum insignem illum effectum, ut venditorem concursui creditorum eximat, non amplius producit, sed cum pacto reservata hypothecæ prorsus est exæquatum, per Ordinat. Proc. recognit. ad tit. 42. §. 7. Nihilominus tamen usuræ pretii non soluti simul cum sorte pari prioritatis jure etiam in Saxonia Electorali gaudent, per Nov. Elect. Decis. 8. ex ratione, tam in Jure Communi, per l. 18. & l. 20. ff. qui pot. in pign. quam in æquitate naturali fundata; vendor enim, cum interim usu rei sua carere cogatur, usuras non ut lucrum, sed tanquam fructus rei sua persequitur, ut pluribus dedicunt CARPOV. P. 1. C. 28. def. 167. WIEHELM. LYSER. cit. diss. cap. 7. tb. 2. lit. a. d. e. & f. quod tamen hodie juxta Ordinat. Proc. recogn. ad tit. 50. eo casu tantum obtinet, si dominium judicialiter fuerit reservatum.

C 2

Th.

## Th. XXVII.

Effectus pacti reservati dominii, in thesi XXV. assertus, ideo non tollitur, quod res sub tali pacto vendita ab emtore postea alii creditorri fuerit oppignorata; siquidem illud pactum venditori tribuit talitem jus subsidiarium, quod in plenissima securitate contra omnes alios creditores tam anteriores quam maxime posteriores se exserit: ordinarium vero dominium, non obstante reservatione, transfertur in emtorem, vid. supra th. V. & XXI. adeoque oppignoratio rei sub pacto reservati dominii venditæ, præsertim si ea ignorante venditore facta sit, effectui ejusmodi pacti eò minus officit, quo certius ex jure constat, rem alienam quoque pignori dari posse, salvo tamen jure veri domini, per l. 9. §. 4. ff. de pignorat. act. & l. 6. C. si alien. res pign. dat.

## Th. XXVIII.

Nec præjudicium ratione effectus pacti reservati dominii infertur venditori, licet, moto concursu, subhastitutionem rei sub ejusmodi pacto sibi obligata permiserit, antequam residuum pretii solutum fuit. Præterquam enim, quod juxta notorias juris regulas nemo suum jactare, sed potius quilibet tacens, ubi actui contradicere potuisse, salvo jure suo tacuisse præsumatur; iura absolute constituta, excepto hypothecæ & pignoris jure, per subhastitutionem non intereunt, ne quidem servitus personalis, veluti usus & habitatio, prout BERGER. in resolut. LL. obstant. qua in compend. jur. Lauterb. exprom. tit. de lege Commiss. animadvers. ad verba: dominium tam diu sibi reservavit. contra dissentientem HYBERVM in Post. tit. de contrab. emt. n. 8. recte statuit, & insuper ibi ad verba. peri-  
culum

culum tamen est penes emtorem. p. m. 330. docet: venditorēm ejusmodi nec valere impedire, quo minus res vendita hastē subjiciatur, ex coque, quod reliquum est pretii, ceteris quoque creditoribus fiat satis. Quomodo igitur sibi per subhastationem admissam poterit praejudicare, qui illam impedire non valet?

## Th. XXIX.

Unde quoque consequitur, venditorem in rem pacto reservati dominii sibi obligatam, & moto postea creditorum concursu hastē subjectam, ratione pretii residui non solum licitari, sed etiam eandem ipsi, salvo effectu pacti reservati dominii, adjudicari posse. Quemadmodum enim venditor in ejusmodi rem nonnisi eum in finem licitatus est, eamque sibi adjudicari curavit, ut eo facilius ac celerius residuum pretii consequatur; ita ex tali licitatione atque adjudicatione perperam insertur, venditorem ratione sui residui pretii, propter quod dominium sibi reservavit, tunc non amplius pro domino, ne quidem subsidiario, sed potius pro emtore esse habendum.

## Th. XXX.

Iterum contrarium de eo, quod in thesibus duabus praecedentibus probavi, statuerunt Jcti Lipsienses in causa concursus saepius memorata, quando in rationibus decidendi dixerunt: So viel die materialia betrifft, die Pocklettin sich allerdings dadurch nicht wenig praejudiciret, daß sie das von ihr verkauffte Haus in dem Losischen Concurse subhastiren lassen, es auch selbst erstanden, dahero sie vorjeho als ein Kauffer, und nicht als ein Eigenthums-Herr zu consideriren; Verum sicuti nullo rationis & legis fundamento haec opinio nititur, ita

Jcti Hallenses & Francofurtes rationibus sat prægnantibus: Dass das reservirte dominium und possession nur iura subsidiaria sind, und eigentlich zu nichts, als zu der künftigen Sicherheit gegen andere Glaubiger dienen, in ihin die subhastation vornehmlich nur ad indagandum verum pretium, und weil ihr das dominium nur wegen des rückständigen Kauff Geldes reservirt gewesen, von ihr zugelassen, auch das Haß, damit sie ihr Geld desto sicherer erhalten möge, wieder erstanden worden, ohne sich dadurch ihres dominii und des datus fliessenden juris separationis in geringsten zu begeben; mea sententia calculum adiecerunt.

## Th. XXXI.

Effectus pacti hypothecæ reservativi quidem etiam est haud exiguus in protopraxia creditorum, cum vendor vi ejusdem pacti creditoribus omnibus, etiam eximie privilegatis, in re vendita præferatur, arg. l. 7. C. qui potior. in pignor. ibique BRVNNEMANN. modo ejusmodi pactum ante traditionem rei venditæ vel in ipso traditionis actu initum sit, CARPOV. P. 1. C. 28. def. 20. nec hypotheca in re vendita jam antea constituta fuerit: STRUV. S. J. C. Exerc. 44. tb. 46. ibique PETR. MÜLLER. in not. t. Interim tamen effectus reservatae hypothecæ de Jure Comuni non tantus est, ut reservati dominii, quia vendor concursui creditorum se imilscere tenetur, qui processus multis ambagibus, ut praxis docet, est involutus. Plures differentias inter pactum reservati dominii & reservata hypothecæ recenset HER TIVS cit. differt. sect. 2. §. 15. ad quem brevitas studio me remitto.

## Th. XXXII.

Pacto reservati dominii affinis est Lex Commissoria,  
que

quæ est conditio resolutiva, verbis directis & in continentia emtionis venditionis contractui per pactum adjecta, quā cavitur, ut, nisi emitor, etiam non interpellatus, pretium intra certum diem solvat vel offerat, contractus perfectus resolvatur, atque arbitrio vendoris relinquatur, an velit rem venditam vel invenditam esse. GOTHOFRED. à JENA tr. de lege Commissor. tb. 6. Formula legis Commissoræ habetur in l. z. ff. de lege Commissor. v. g. Titius vendit Cajo fundum Tusculanum suum centum aureis, cumque tradit hac conditione: ut, si pretium intra mensē non solverit, res sit inempta; quæ formula in vernacula nostra sic effertur: Sollte die Zahlung auf gesetzten Termin nicht erfolgen, so soll der Kauf gänzlich annulliret und aufgehoben seyn.

## Th. XXXIII.

Pactum reservati dominii & Legis Commissoræ catus quidem inter se conveniunt, quatenus in utroque pacto favor vendoris respicitur & dominium reservatur: Sed in eo præcipue differt utrumque pactum, quod in lege Commissoræ reservatio dominii fiat sub conditione, quam vocant, resolutiva: Unde sequitur, conditione emtionis Commissoræ existente, venditorem dominium ipso jure, etiam sine rei traditione, recipere posse, arg. l. fin. ff. de lege Commissor. adeo, ut emitor, juxta veriorem sententiam, moram purgare non possit, arg. l. 4. §. 2. l. 6. §. fin. l. 7. ff. eod. imò arrham, si quam dederit, vel partem pretii soluti, ob fidem non servatam, sive in poenam moræ perdat, per l. 4. §. 1. & l. 6. princ. ff. eod. BERGER. in resolut. LL. obstant. que in compend. jur. Lauterbach. exprom. tit. de lege Commissor. quæst. 3. seqq. Quæ omnia in pacto reservati dominii secus se habent. conf. HERT. cit. diff. sect. I. §. 17.

Th.

## Th. XXXIV.

Quodsi ergo emtor pretium rei emtæ in promtu non habeat: venditor cautus atque circumspectus in scheda emtionis, pacto, donec integrum pretium solvatur, dominium sibi reservare, eoque rebus suis optime consulere solet. Ast cum venditores sepius vim & effectum hujus pacti ignorant, & in tabelliones, quorum permulti proh dolor! vix ac ne vix quidem primis juris elementis imbuti sunt, incident, raro hujus salutaris pacti in emtionis ac venditionis instrumentis fit mentio. Plerique enim notarii formulis atque clausulis utuntur faltem ex vulgari usu, non ex ratione, ut pica & psittacus stantes in palatio dominorum garriunt sine intellectu. BARTHOL. BERTAZOL. tr. de clausul. instrument. in proem. n. I. & seqq. Miserorum istiusmodi tabellionum peccata atque errores cordate & ex instituto enumerat AHASVERVS FRITSCHIVS in libello, qui inscribitur: *Notarius peccans & errans; improbas vero cautelas BARTHOLOM. CÆPOLLÆ aliquumque perstringit SAM. STRYCKIVS in cautel. contr. sect. I. cap. I. §. 8.*

## Th. XXXV.

Pluribus, fateor, hoc argumentum persequi potuisse, nisi illud, pro temporis ratione, per summa tantum capita paucissimis delibare constituisse. L. B. itaque ut veniam mihi det, si forte festinabundus hallucinatus fuero, & hasce meas primitias æqui bonique consulat, est, quod obnixe rogo.

## T A N T V M.


Erfest, Diss., 1735



✓D18



B.I.G.



Pri. 21. num. 23. P. S. 36.

16  
DISSERTATIO INAVGURALIS JVRIDICA

DE

PACTO RESERVATI  
DOMINII IN VENDITIONE  
VSQVE AD PRETII RESIDVI  
SOLVTIONEM, EJVSQVE EFFE-  
CTIBVS INSIGNIORIBVS IN  
CONCVRSV POTISSIMVM  
CREDITORVM,

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
PRÆNOBILI, CONSULTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,  
DN. D. HERMAN. PAVLO JVCH,

SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLIC. ET ARCHIAT.  
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROF. PVBL. PRIMAR. FAC. MED. SENIORE,  
ET ACADEM. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA,

EX DECRETO ET AVTORITATE  
INCLYTI JCTORVM ORDINIS  
PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES  
RITE CAPESSENDI,

DIE XIV. OCTOBR. A. MDCCXXXV.

IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI HORIS CONSVETIS  
PVBLICÆ ERUDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET,

JOHANNES GOTTLIEB OSANN,  
*Erford.*

ERFORDIA, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

